Schmidt, Leopold Valentin
Quaestionis de Pindaricorum carminum chronologia supplementum alterum

INDICES
LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVUM

INDE A D. XV. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI MDCCCLXXXVII

HABENDAE PROPONUNTUR.

Praemissum est *Leopoldi Schmidtii* quaestionis de Pindaricorum carminum chronologia supplementum alterum.

MARBURGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.


LIBRARY
AUG 3 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

ACADEMIAE MARBURGENSIS

RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Quae ante hos decem annos in commentationibus Mommsenianis et ante hos septem annos in supplemento quaestionis de Pindaricorum carminum chronologia lectionum hibernarum Marburgensium indici praemisso de Pythici carminis primi temporibus disputaveram, eorum pleraque assensum virorum doctorum tulerunt: etenim conceditur fere et Aetnam montem Olympiadis septuagesimae quintae anno secundo arsisse et Aetnam urbem Olympiadis septuagesimae sextae anno primo conditam esse et carminis versus 50—52 ad Cumanum bellum Olympiadis septuagesimae sextae anno tertio gestum spectare. Quarum rerum commemorationem facile apparet non potuisse non eo vehementioribus stimulis animos audientium movere, quo minore intervallo ab eo anno quo Pindarus Hieronem Aetnaeum cecinit separabantur, idque cum ita esset, Otto Schroederus, qui pridem aliter senserat, eo adductus est ut odam, de qua sermo est, mecum Olympiadis septuagesimae sextae anno tertio vindicaret mihique de Pythiadum calculis assentiretur (*Jahresberichte des philol. Vereins zu Berlin* VIII, 45), nec minus astipulatus est J. Sitzlerus (*Philol. Rundschau* 1881, p. 113). At negavit nuper Bornemannus ita recte concludi (*Jahresberr. üb. d. Fortschrr. d. cl. Awschft.* XLII, 78): potuisse enim et montis eruptionis novennio post et conditae urbis sexennio post et Cumani belli quadriennio post ita ut Pindarus fecit mentionem haberi, nihil igitur obstare quominus Olympiadis septuagesimae septimae anno tertio cum Bergkio carmen tribuatur. Quod quidem, ut iam pridem indicavi, est

eiusmodi, ut quis gravissimis argumentis in eum undique irruentibus coactus eo confugiat, non ut id ultro capessat in eo carmine interpretando, quod gratulatione quadam recens conditam urbem celebrare eique ut Typhoia omnia procul absint exoptare videtur. Talia autem argumenta neque ex aliis carminibus neque e futilissimis, quae in hac quaestione adhibitae sunt, scholiorum verbis peti possunt.

Ac si Bornemanni sententiam recte assequor, is ut aliter statueret uno potissimum eorum carminum inductus est, quibus ego non tam ad confirmandos quam ad commendandos calculos e Pythico primo haustos usus eram. Olympicum dico nonum. Habet hoc carmen cum Olympico duodecimo id commune, quod in eo Pythicae victoriae memoria cum Olympicae eiusdem viri ita coniungitur ut Olympicum existimari debeat, si Olympica posterior fuit, sin Pythica, aut Pythicum aut fortasse Olympico-Pythicum: quarum rationum illa aliqua ex parte eam computationem adiuvare videtur, secundum quam Pythionicarum catalogus primam Pythiadem in media Olympiade duodequinquagesima ponebat, haec eam, secundum quam in media undequinquagesima. Iam vero Bornemannus (l. c. p. 97) odam propter initii conformationem ita sibi visus est optime explicare posse, ut eam Pythicae victoriae tamquam posteriori celebrandae destinatam opinaretur: brevissimo enim cantui, qui olim Olympiae inter ipsum festum in honorem victoris auditus fuerit, opponi nunc splendidissimam comissationem, quam Pythica quoque victoria parta Opuntii in patria eius urbe instituerint. In quam opinionem quomodo incidere vir doctus potuerit, vix intellego. Nam dedita opera atque ita ut dubitationis omnino nihil relinqui possit poeta sibi nunc quoque Iovem Olympicum atque Elidis cacumen celebrandum, sed late iaculando celebrandum esse his versibus (5—10) significat: *Ἀλλὰ νῦν ἑκαταβόλων Μοισᾶν ἀπὸ τόξων Δία τε φοινικοστερόπαν σεμνόν τ' ἐπίνειμαι Ἀκρωτήριον Ἄλιδος Τοιοῖσδε βέλεσσιν, Τὸ δή ποτε Λυδὸς ἥρως Πέλοψ Ἐξάρατο κάλλιστον ἕδνον Ἱπποδαμείας*, quibus tam signate prolatis obiter tantum Pythicam quoque victoriam his verbis (11. 12) tangit: *Πτερόεντα δ' ἵει γλυκὺν Πυθῶνάδ' ὀϊστόν.* Multas easque late proiectas sagittas in sacrosanctos Olympiae locos eiusque tutelarem deum mittit, unam oblata occasione Delphos: non potest apertius indicari solius Olympicae victoriae causa carmen compositum esse, ut haec necessario sive biennio sive diutius post Pythicam parta cogitari debeat. Iam vero cum scholion ad inscriptionem adiunctum Olympicam victoriam Olympiadi octogesimae primae vindicet, secundum Bergkianam computationem ita tantum rationes congruunt, si Pythica victoria Pythiadi tricesimae ascribitur, secundum Boeckhianam etiam si tricesimae tertiae: haec autem posterior sententia non solum memoria scholii ad v. 17 sed etiam eo magis commendatur, quod decem annorum intervallum inter utramque victoriam

interpositum fuisse minus videtur probabile. Ceterum epinicios cantus in universum brevi post victorias, quibus dati sunt, conditos esse non solum rei natura docet sed etiam inde colligendum est, quod admissa mora et in decimo carmine Olympico, quod olim undecimum Boeckhius appellavit, et in Nemeaeo tertio singulariter excusatur: nam Nemeaei carminis noni, utpote nec victori Panhellenio destinati et ob occasionem fortuito oblatam orti, prorsus diversa est ratio.

Atque eis quae de nona oda Olympica supra exposui non solum, ut puto, Bornemanniana illa opinio refutata est, sed simul etiam eorum sententia labefactatur, qui consuetudinem quandam exstitisse autumant epinicia carmina ita componendi, ut ad diversorum festorum victorias complurium annorum intervallo discretas pariter referrentur: nam ne pro Olympico-Pythica quidem illa oda haberi potest. Quodsi quis eam quae sub duodecimae Olympicae nomine fertur tali potius appellatione dignam existimat, ei respondendum est prorsus similem speciem in septima Olympica oriri, sed eam speciem aperte falsam esse: nam cum in priore eius parte Pythicae victoriae commemoratio cum Olympicae ita coniungatur, ut neutra prae altera respici videatur (*Ὀλυμπίᾳ Πυθοῖ τε νικώντεσσιν* v. 10: *ἄνδρα παρ' Ἀλφειῷ στεφανωσάμενον Αἰνέσω πυγμᾶς ἄποινα Καὶ παρὰ Κασταλίᾳ* v. 15), versus finem edocemur cantus et comissationis causam in sola Olympica positam esse (*τίμα μὲν ὕμνον τεθμὸν Ὀλυμπιονίκαν* v. 88) *). Solum igitur inter Pindari carmina Isthmium septimum duas diversorum ludorum victorias coniunctim celebrat, sed id cogentibus fortasse publicis Graeciae condicionibus, nec tantum quantum inter festa Olympicum et Pythicum inter Isthmicam et Nemeaeam Cleandri victoriam temporis spatium intercessisse videtur. Certe in hoc tantum ipsam comissationis et laetae pompae causam duplicem esse significatur, id quod secus est et in Olympico septimo et in Olympico duodecimo. Ipsum autem Olympicum duodecimum cui victoriae destinatum sit, fortasse a nonnullis dubium existimari potest: mihi ut antea ita nunc propter gravissimum pondus, quo in versu 17 vox *Ὀλυμπίᾳ* effertur, ad Olympicam pertinere videtur, nec debebat huic rationi Schroederus collocatam post Isthmiadis mentionem vocem *Νεμέᾳ* in Isthmii carminis septimi versu quarto opponere. Neque enim Pindari ars in collocandis verbis eo continetur, quod valentissima quaeque semper in sententiarum initio ponit, sed si quae verba audientium auribus vel maxime infigenda sunt, eis locum insignem in initio vel fine sive sententiarum sive versuum tribuere solet, itaque hic etiam Nemeaeae victoriae significationem cum summa vi in fine longioris versus exhibet. Verum

*) Hanc rem iam Schroederus l. c. animadvertit, nec tamen id quod inde consequitur aperte prolocutus est.

enimvero quidquid de hoc statuitur, confitendum est et scripturam versus duodevicesimi et temporum notationes in scholiis exhibitas satis incertas esse, ita ut non recte Boeckhius huic potissimum carmini Pythiadum calculos superstruxerit neque ego ei in hac disputationis parte assentiri debuerim. Immo cum admodum probabiliter T. Mommsenius (Annot. crit. supplem. ad Pind. Olympias p. 155) scholiorum verba ita emendaverit, ut in eis duarum Olympicarum et unius Pythicae victoriae mentio fiat, cumque in ipso poetae versu vel coniectura Bornemanni *δὶς καὶ ἐκ Πυθῶνος*. qua accepta in Olympiadis duodeoctogesimae annum primum ducimur, habeat quo commendetur, neutiquam his omnibus ad diiudicandum inter Boeckhianam et Bergkianam computationem adiuvamur.

Quod vero computationem a Boeckhio et me probatam undecima quoque oda Pythica commendari significavi, de eo propterea Bornemannus dubitavit, quia haec res ex interpretatione penderet. At id longe secus se habet: nam etsi de totius carminis argumento ac de mythicae potissimum partis significatione diversissimae et exstare possunt et exstant sententiae, singularis tamen ille et cum civilis concordiae commendatione coniunctus sensus Thebanus, qui in stropha et antistropha prima legentium animos movet, nulli Pythiadi magis convenit quam ei quae media Olympiade septuagesima quinta agebatur.

Verum ut ne huic quidem parti rei plus iusto insistamus, cardo totius quaestionis in Pythico carmine primo versatur, cuius rationes universae eo ducunt, ut in Pythionicarum catalogo a Pindari scholiastis adhibito Pythiadem undetricesimam in Olympiadis septuagesimae sextae anno tertio collocatam, Pythiades igitur inde ab Olympiadis duodequinquagesimae anno tertio numeratas esse intellegamus. Quod qui aliquantillum eo confirmari existimat, quod Pausanias primam Pythiadem in Olympiadis duodequinquagesimae, secundam in Olympiadis undequinquagesimae annum tertium incidisse commemorat (X, 7, 3), haud profecto nimium huius scriptoris auctoritati tribuit: exstitisse enim inter veteres, qui secundum hos numeros Pythiades designarent, propter eius verba certum est. At meliora nos per auctores Pausania praestantiores edoceri non desunt qui inveterata opinione decepti vociferantur. Ita nuper demum vir perquam ingeniosus, sed in rebus quae ad Pindarum spectant ad festinantius indicandum hic illic proclivis, haec scripsit*): *Pyth. I vom jahre 470: denn die chronologie Pindars hat erst Bergk in die richtige Bahn gebracht, oder vielmehr zurückgeführt, indem er der voreratosthenischen chronographie und den scholien mehr wert beilegte als den rechnungen des Pausanias. das sollte billigerweise selbstverständlich sein.*

---

*) *Philologische Untersuchungen, herausgeg. von A. Kiessling und U. v. Wilamowitz-Möllendorff, H. IX, S. 172.*

Cui, si vera essent quae de chronographis anteeratosthenicis et de scholiis Pindaricis profert, idem nunc responderem quod ante hos septem annos omnibus Bergkii asseclis respondi, neminem ex interna vel Gregorianorum vel Rossicorum fastorum praestantia diiudicaturum esse, num dierum significationes in hodierna aliqua rerum Rossicarum enarratione exhibitae secundum hos an secundum illos intellegendae essent: at hoc ita tantum recte responderem, si ut hodie diversi fasti ita antiquitus diversae rationes Pythiades numerandi exstitissent. Id autem nunc demum intellego secus se habere, quoniam nullo testimonio evinci potest quemquam veterum Pythiades aliter numerasse ac Pausanias fecit. Etenim inter scholia Pindarica nullum est, quod paullo attentius inspectum contrariam sententiam fulcire possit. Scilicet neque scholion ad Olympici carminis noni versum decimum septimum, sive illud secundum Boeckhium sive secundum G. Hermannum corrigitur, neque scholion Olympici carminis duodecimi indici ascriptum, quod Tycho Mommsenius non sine Bergkii assensu praeclare emendavit, comparationem inter Olympiadum et Pythiadum numeros instituit, ita ut solum illud quod ad Pythici carminis tertii indicem additum est in hac re cum aliqua specie veri allegari possit. At id ipsum quaeritur quam vim habeat. Aut enim, id quod in commentatione ante hos septem annos edita ipse statueram, propter ea quae de Hieronis regni initio profert hominem prorsus imperitum auctorem habet aut, quae est Sitzleri sententia (*Philologische Rundschau 1881*, p. 113), unus in eo numerus corruptus est. Nec re denuo pensitata possum quin nunc in Sitzleri partes cedam, qui rectissime animadvertit *τὴν ὕστερον Πυθιάδα* in scholiastae verbis ad exemplum loci Herodotei 6, 103 Pythiadem ea quae antea appellata est posteriorem significare, ut nequeat idem utriusque numerus esse. Itaque non iam meras ineptias ille grammaticus profert, si virum doctum sequentes scribimus: *καθίσταται δὲ ὁ Ἱέρων βασιλεὺς κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν πέμπτην Ὀλυμπιάδα, τῆς εἰκοστῆς ὀγδόης Πυθιάδος τῇ προκειμένῃ Ὀλυμπιάδι συγχρόνου οὔσης, ὥστε πάντη τε καὶ πάντως μετὰ τὴν ὕστερον Πυθιάδα, ἥτις γέγονε περὶ τὴν ἑβδομηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα, συντετάχθαι τόνδε τὸν ἐπίνικον*, sed idem sic ignorantiae crimine liberatus ne a Pausania quidem in computandis Pythiadibus dissentit. His autem alias unquam numerorum notas inditas esse etiam marmor Parium atque Eusebii chronicon haudquaquam docent: nam marmoris auctor, etsi a Pausania in eo differt quod inter aerarii et coronarii ludi institutionem longius quam ille temporis intervallum statuit, tamen consentiens cum illo coronarii institutionem ad Olympiadis undequinquagesimae annum tertium refert, idem autem de numerorum notis ad Pythiades designandas adhibitis nihil omnino tradit. Nec plura docet Eusebius, qui, siquidem in eius notis restituendis neque Syncellum neque Hieronymum

sed meliorem Armeniae versionis auctoritatem sequimur, ad Olympiadem quinquagesimam haec ascribit: 'Isthmia post Melicertem et Pythia prius constituta sunt'*): quae, si quid video, in brevius contracto maiore aliquo enuntiato orta sunt, quod Isthmios ludos ipso illo anno conditos, Pythios nonnihil ante institutos fuisse explicaverat.

Nec puto de veritate eorum quae hucusque exposita sunt propterea quemquam dubitaturum esse, quia de interposito inter coronarium mediae Olympiadis undequinquagesimae ludum et aerarium qui praecessit intervallo, quod marmoris Parii auctor novenne, is qui hypothesim Pythiorum composuit sexenne, Pausanias quadrienne esse voluit, diversa traduntur. Etenim nullus horum scriptorum aerarium ludum repetitum esse refert, ita ut hoc ludo ornatum festum et verissime et simplicissime primae, illud autem in quo primum coronarius instruebatur secundae Pythiadis nomen acceperit. Quodsi annorum spatium quod inter primam et secundam Pythiadem intercessisse credebatur ab eo quod reliquas divisit differebat, id ipsum utpote iustioribus tempora computandi rationibus repugnans facile eo ducere poterat ut de primae Pythiadis, i. e. de aerarii ludi anno aliter statueretur atque inde diversae illae opiniones nascerentur.**)

Tantae turbae in definiendis Pythicarum odarum temporibus profecto non exstitissent, si viri docti ipsos locos, quibus superstruenda est investigatio, accuratius inspexissent neque incertam famam de testimoniis quae nusquam exstant secuti essent: quo crimine me ipsum usquequaque eximere nequeo. Ac possem nunc huic disputationi finem imponere: verum animus fert simul eam partem chronologiae Pindaricae retractare, quae ad Olympici carminis primi tempus spectat, quia antehac de ea paullo calidius iudicasse videor. Scilicet iam in commentatione anno 1880 prodita eis qui cum Bergkio sentiunt Didymi adnotatione ad versum 33 commotus concessi, duas victorias Olympicas quas celete Hiero consecutus est ad Olympiades septuagesimam sextam et septuagesimam septimam pertinere: id quod novo postmodum argumento ab amico doctissimo Eduardo Luebbert confirmatum est. Recte enim ille in commentatione de Pindari poetae et Hieronis regis amicitiae primordiis et progressu anno 1886 emissa exposuit,

*) Ita verba Armenia ab Auchero recte translata esse iamdudum a Gildemeistero edoctus significaveram (*Pindar's Leben und Dichtung* p. 482).

**) Quomodo alia computandi ratio ex alia orta esset, enucleare studuit Augustus Mommsen (*Chronologie* p. 196), fortasse nimio acumine usus. Quem virum doctum dolendum est neque Schoenii Eusebium neque Tychonis Mommsenii Pindarum in manibus habuisse, cum ea componeret quae ad Pythiadum rationes pertinent: aliter enim in adnotatione ad p. 190 neque Eusebio tribuisset quae non sunt Eusebiana neque in afferendo scholio ad Olympici carminis duodecimi inscriptionem iustam scripturam in Mommseniano annotationis criticae supplemento p. 155 exhibitam neglexisset.

ea quae Pausanias VI, 9, 2 de Gelone Geloo, qui Olympiade septuagesima tertia curru victor fuit quemque hominem privatum fuisse contendit, sibi visus est explicare posse propter errorem nimis manifestum nullo pacto scribi potuisse, si in Olympionicarum anagrapha inter eiusdem Olympiadis victores Gelonis regis frater a patre Dinomene et ipse progenitus commemoratus fuisset. Quae cum ita sint, ambiguum sane videri potest utrum Olympiadis septuagesimae sextae an Olympiadis septuagesimae septimae victoriam illo carmine de quo sermo est Pindarus cecinerit: quin immo eo cautius nos iudicare decet, cum de ea re iam veteres grammatici inter se dissenserint, inter quos Aristonicus posteriori, Apollodorus ac Didymus priori victoriae odam attribuerunt Iam vero evidentissime falluntur si qui adhuc sunt qui pertinens ad Olympiadem septuagesimam sextam carmen Olympicum tertium propterea post primum conditum esse opinantur, quod in fine illius eodem proverbio quo in huius initio Pindarus usus est, quasi poeta illa repetitione Theronem supra Hieronem extollere ac regem, quem paullo ante magnifice celebraverat, invidiose detrectare voluerit, quod quam indignum sit non opus est pluribus exponere. Sed ne inde quidem, quod victoriae ante acceptae nulla mentio fit, demonstrari potest odam Olympicam primam priori victoriae destinatam esse, quia e Pythico carmine primo satis intellegitur nulla lege poetam obstrictum fuisse, ut apud reges etiam qui per sessores vel aurigas sibi palmas parabant omnes anteactorum temporum victorias agonisticas enumeraret. In hoc argumentorum ad persuadendum vere accommodatorum defectu ego diu arbitratus sum spem currulis victoriae in fine carminis expressam vetare, ne de celeticarum victoriarum priore cogitetur, quoniam si Hiero alteram adhuc celeticam appetiit, postquam currulem Olympicam sibi unice nunc exoptandam esse quodammodo publice per Pindari os pronuntiari iussit, parum id convenire cum certaminum sacra auctoritate videbatur. Atqui confitendum est hoc quoque non esse eiusmodi ut rem absolvat, cum nec nostra studiorum illorum agonisticorum cognitio satis certa sit et variae fortasse causae excogitari possint quae Hieronem ad novum conamen celeticum incitaverint. Quo accedit quod pro contraria sententia, quae priorem victoriam a Pindaro celebratam statuit, duae rationes minime leves afferri possunt, quae me nunc movent ut relicta ea quam antea defendi in hanc potius inclinem. Earum rationum una haec est quod poeta Olympiadis septuagesimae sextae tempore complures viros Siculos cecinit idque facillimum explicatum habet si tunc ipsum, id quod in oda de qua quaerimus describitur, in Sicilia praesens fuit, altera haec quod in scholio ad versum 33 Didymus eos acriter vituperat qui ante conditam urbem Aetnam carmen ortum esse negarunt, ut colligere liceat de origine eius ad Olympiadem septuagesimam sextam referenda

ob argumenta satis gravia docto grammatico persuasum fuisse, quem nemo propterea solum ita sensisse credet, quia non Aetnaeum sed Syracusanum se pronuntiari Hiero iussit. Quae si comprobantur, fieri sane non potest quin Olympicum carmen decimum quartum, quod et ipsum in omnibus melioribus codicibus ad Olympiadem septuagesimam sextam refertur, circa idem tempus e Sicilia Orchomenum missum esse statuatur.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

ERNESTUS RANKE, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice* *a*) *exercitationes* seminarii theologici *exegeticas ad Novum Testamentum spectantes* moderaturus *priorem Pauli apostoli epistulam ad Thessalonicenses datam* tractabit die Iovis h. vi—viii, *b*) *historiam canonis Novi Testamenti* enarrabit die Saturni h. ix; 2) *privatim evangelium Matthaei* interpretabitur quaternis per hebdomada lectionibus h. ix; 3) *privatissime* et *gratis* in societate patristica *Papiae fragmenta* et si per tempus licebit *Hieronymi prologos exegeticos* explicabit die Sat. h. x.

GEORGIUS HEINRICI, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, ordinis theologorum h. t. decanus, 1) *privatissime* et *gratis* in societate exegetica *Lucae evangelium* explicandum proponet die Iovis h. vi—viii; 2) *publice exercitationes ad archaeologiam christianam* pertinentes instituet die Saturni h. viii; 3) *privatim a*) *Pauli apostoli ad Corinthios epistulam priorem* nec non *capita selecta secundae epistulae* interpretabitur quater per hebdom. h. ix, *b*) *encyclopaediam et methodologiam theologicam* tradet die Mercurii et Saturni h. ix.

CAROLUS GUSTAVUS ADOLPHUS HARNACK, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *historicas* moderaturus *Eusebii historiae eccles. librum quintum* tractabit die Ven. h. vi—viii; 2) *privatim a*) *historiam priscae ecclesiae (historiae ecclesiasticae partem primam)* tradet senis per hebd. lectionibus h. viii, *b*) *historiam papatus et ecclesiae Romanae inde a medio saec XVII usque ad nostra tempora* die Lunae h. vi—viii vesp.; 3) *privatissime* et *gratis historiam litterarum Christianorum veterum* horis posthac definiendis enarrabit.

GUILELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, 1) *publice* in seminario theologico *exercitationes systematicas* moderari perget die Lunae h. iv—vi; 2) *privatim a*) *ethicam christianam* docebit quinquiens per hebd. h. xi, *b*) *theologiae dogmaticae partem alteram* docebit quinquiens per hebd. h. xii, *c*) *de veritate religionis christianae* disseret d. Martis et Veneris h. v.

WOLF GUILELMUS COMES DE BAUDISSIN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O. 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *ad Vetus Test. pertinentes* moderabitur die Martis h. vi—viii; 2) *privatim* a) *criticae in Vet. Test introductionis partem alteram (criticen prophetarum et hagiographorum)* exhibebit ter p. hebd. d. Mercurii h. x, d. Lunae et Iovis h. v, *b*) *librum Psalmorum* interpretabitur quater per hebd. h. x.

ERNESTUS CHRISTIANUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *homileticas* die Mercurii h. iii—v, *catecheticas* die Veneris h. iii—v moderabitur; 2) *privatim a*) *theologiae practicae partem I* quinis per hebd. diebus docebit h. vii, *b*) *historiam canticorum ecclesiae evangelicae* tradet diebus Lunae et Iovis h. viii, *c*) *pericopas in semestri Ecclesiae legendas* interpretabitur diebus Martis et Veneris h. viii.

2. PRIVATIM DOCENTIS.

ADOLFUS LINK, theol. Lic., seminarii Philippini repetens, *privatim introductionem critice historicam in libros Novi Testamenti* enarrabit quinquiens p. hebd. h. XI.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de selectis ex iure obligationum speciali materiis* disseret die Merc. h. XII; 2) *privatim a) historiam processus civilis apud Romanos* tradet die Martis et Veneris h. XII, *b) institutiones iuris Romani* tractabit quinquiens per hebd. h. XI; 3) *privatissime* in seminario iuridico *a) pandectarum* locos interpretandos proponet, *qui ad partem generalem quam vocant et ad ius rerum corporalium spectant* d. Martis et Iovis h. V, *b) practicum pandectarum* instituet d. Lunae h. VI—VIII.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques. 1) *publice indolem et historiam iuris Romani adumbrabit* die Mercurii h. V; 2) *privatim a) historiam iuris Romani privati* tradet quinquiens per hebd. h. XII, b) *ius hereditarium Romanum* docebit quater p. hebd. h. XI, *c)* in seminario iuridico *examinatorium de iure pandectarum* instituet d. Martis et Iovis h VI et VII.

IUSTUS BERNARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., docebit, 1) *publice ius cambiale* semel h. XII; 2) *privatim a) ius privatum germanicum* sexiens h. VIII, *b) ius mercatorium* quinquiens h. IX.

FRANCISCUS EDUARDUS DE LISZT, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, academiae h. t. rector, ordinis Russici Stanislai secundae classis eques, 1) *publice de origine ac progressu rei carcerariae* disseret die Lunae h. IV; 2) *privatim a) processum civilem imperii Germanici* docebit quinquiens per hebd. h. VII nec non d. Lunae et Iovis h. VIII, *b)* in seminario iuridico *practicum criminale* instituet die Ven. h. VI—VIII vesp.

RUDOLPHUS LEONHARD, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *publice ius familiae Romanum* tractabit die Saturni h. VII: 2) *privatim a) doctrinam pandectarum Dernburgio duce* tractabit quinquiens p. hebd. h. IX—XI, *b) ius privatum Borussicum adiunctis exercitationibus practicis* docebit d. Lunae Martis Iov. Vener. h. IV, *c)* in seminario iuridico *exercitationes practicas ad processum civilem* pertinentes instituet die Merc. VI—VIII.

GUILELMUS SICKEL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis iurecons. h. t. decanus, 1) *privatissime societatem Germanicam* moderabitur die Iovis h. IV; 2) *privatim* docebit *a) ius Germanicum publicum* quater p. hebd. h. XI, *b) ius ecclesiasticum* quater h. XII.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

VICTOR PLATNER, I. U. Dr. et P. P. E., docebit, 1) *publice ius maritimum* die Mercurii h. X; 2) *privatim a) historiam iuris germanici* quater p. hebd. h. XI, *b) practicum iuris mercatorii et cambialis* binis lectionibus p. hebd.

ADOLPHUS FRANTZ, I. U. Dr. et P. P. E., 1) *publice de furto aliisque delictis* disseret semel per hebd. h. x; 2) *privatim* docebit *a) ius criminale imperii Germanici* quater per hebd. h. x, *b) processum criminalem imperii Germanici* quater h. ix; 3) *privatissime* in seminario iuridico *examinatorium de iure ecclesiasticorum* adhibitis *exercitationibus* instituet die Iovis h. iv—vi.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. iv—vi instituet.

BERNARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. iii—v instituet.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

HERMANNUS NASSE, med. et phil. Dr., physiologiae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis. ordinis coronae Boruss. II. cl. et aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice de praecipuis corporis humani functionibus* semel h. vi p. m. cum auditoribus sermones habebit; 2) *privatim physiologiam generalem* binis scholis h. vi p. m. docebit.

GUILELMUS ROSER, med. Dr. et chirurgiae P. P. O., instituti clin. chir. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice examinatorium de chirurgia* offert; 2) *privatim chirurgiam generalem* docebit quater p. hebd. h. vii; 3) *privatissime a) clinicen chirurgicam* diriget h. viii—x, *b) cursum operationum* una cum Carolo Roser instituet h. x.

NATHANAEL LIEBERKUEHN, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, 1) *publice examinatorium de rebus anatomicis* offert semel per hebd. habendum; 2) *privatim anatomiam topographicam* tradet d. Lunae Martis Iovis Veneris h. x; 3) *privatissime exercitationes microscopicas* una cum G. Wagener et I. Strahl moderabitur.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, praetorius militiae ad patriam defendendam evocatae medicus superior primi ordinis, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* offert semel p. hebd. habendum; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* quater p. hebd. h. vi—vii et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen et policlinicen medicum* h. x et dimid. — xii moderabitur.

HERMANNUS SCHMIDT-RIMPLER, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, ordinis coronae Boruss. IV. cl. cum gladiis eques, 1) *publice examinatorium de rebus ophthalmologicis* offert die Lunae h. XII; 2) *privatissime a) clinicen ophthalmiatricam* moderabitur die Martis et Iovis h. XII—I, die Saturni h. X et dimid.—XII, *operationes* horis posthac definiendis, *b) cursum ophthalmoscopiae et operationum ophthalm.* instituet ter h. VII.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., instituti psychiatrici director, ordin. Saxon. Ernest et leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, 1) *publice studia practica in psychiatria forensi* binis horis moderabitur: 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. hebd. hor. V—VII.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, 1) *publice* offert *examinatorium de rebus physiologicis* semel per hebd.: 2) *privatim a) physiologiae experimentalis alteram partem* quinquiens p. h. h. IV docebit, *b) chemiam physiologicam* tractabit quater p. h. h. V; 3) *privatissime exercitationes physiologicas* diriget ter p. hebd.

FRIDERICUS AHLFELD, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et instituti clinici obstetricii et gynaecologici director, ordinis Albertini Saxonici I. cl. eques et cruce Ruthen. civ. II. cl. decoratus, 1) *publice relationes atque disputationes de sententiis doctorum in re obstetricia et gynaecologica nuper prolatis* moderabitur; 2) *privatim a) de morbis mulierum* disseret bis per hebd. h. IV, *b) clinicen artis obstetriciae propaedeuticam* moderabitur bis per hebd. h. XII; 3) *privatissime clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. VII.

FELIX MARCHAND, med. Dr., pathologiae generalis et anatomiae pathologicae P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, cruce ferrea decor., 1) *publice anatomiam pathologicam ossium* docebit h. IX et dimid.; 2) *privatim a) anatomiam pathologicam organorum circulationis, respirationis, digestionis et organorum urinalium* quinquiens p. hebd. tractabit h. IX et dimid., *b) in histologiam pathologicam* introducet d. Martis et Iovis h. XII; 3) *privatissime a) cursum practicum histologiae pathologicae* moderabitur et *artem cadavera perite secandi* docebit d. Lunae, Mercurii, Veneris h. II—IV, *b) exercitationes in instituto pathologico habendas* offert.

IOANNES MEYER, med. Dr., pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacologici director, ord. medicorum h. t. decanus, 1) *publice examinatorium rerum pharmacologicarum* semel instituet h. V; 2) *privatim a) de intoxicationibus* disseret bis p. hebd. h. V, *b) artem formulas medicas praescribendi* docebit bis p. hebd. h. V; 3) *privatissime investigationes varii argumenti* moderabitur *in laboratorio pharmacologico.*

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. E., ordinis coronae Boruss. III. cl. eques, *publice histologiam* docebit bis p. hebd.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., ordinis coron. Boruss. IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, 1) *publice repetitorium de morbis mulierum* instituet semel p. hebd.; 2) *privatim theoriam artis obstetriciae* docebit quinis scholis; 3) *privatissime operationes obstetricias* demonstrabit scholis binis.

MAXIMILIANUS RUBNER, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice hygienen publicam* docebit d. Veneris h. IV; 2) *privatim hygienen* tradet per hebd. h. IV; 3) *privatissime* moderabitur *a) exercitationes practicas in laboratorio* d. Martis et Iovis h. V—VII, *b) investigationes hygienici argumenti.*

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques. 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel p. hebd. instituet; 2) *privatim operationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr., *privatim a) de morbis cutaneis* disseret ternis scholis h. VII mat., *b) cursum vaccinationis* diriget horis posthac definiendis.

ERNESTUS FRERICHS, med. Dr., 1) *privatim de electrotherapia* disseret binis per hebd. scholis posthac definiendis; 2) *privatissime artem aegrotos inspiciendi, palpandi, percutiendi, auscultandi adiunctis exercitationibus in nosocomio practicis* docebit quinquiens per hebd. h. III.

IOANNES STRAHL, med. Dr., *privatim osteologiam et syndesmologiam* tradet d. Martis, Veneris, Saturni h. XI.

FRANCISCUS TUCZEK, med. Dr., *privatim psychiatriam propaedenticam* tractabit bis per hebd.

CAROLUS ROSER, med. Dr., 1) *gratis de chirurgia adhibenda tuberculis* disseret bis per hebd.; 2) *privatim cursum operationum* una cum G. Roser instituet; 3) *privatissime clinicen chirurgicam propaedeuticam* moderabitur ter p. hebd. h. XII.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., math. P. P. O., ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice methodos geometricas quae proiectivae vocantur* explicabit d Merc. h. XI—I; 2) *privatim de integralibus definitis* disseret quaternis scholis h. XI.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice partium socialium hoc tempore obtinentium originem, indolem, fines delineabit* die Merc. h. IX; 2) *privatim politicen sive de re publica constituenda administandaque doctrinam* explicabit die Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

LEOPOLDUS SCHMIDT, philos. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologi director, Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice a)* seminarii philologi sodalibus *Babrii fabulas* interpretandas proponet reliquasque *exercitationes* moderabitur diebus Lunae et Iovis h. VI, *b) Thucydideo operi interpositas orationes* interpretabitur diebus Mercurii et Saturni h. X; 2) *privatim antiquitates publicas Graecorum* tractabit sexiens per hebd. h. XI.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de elementis astronomicae* leget semel p. hebd.; 2) *privatissime* sed *gratis colloquia de rebus novis physices experimentalis* diriget semel p. hebd. 3) *privatim physices experimentalis primam partem ad phaenomena mechanicae udque lucem spectantem* quinquiens leget h. VIII; 4) *privatissime exercitationes physicas practicas* una cum Feussnero prof. moderabitur quaternis diebus h. II—V.

CAROLUS LUCAE, philos. Dr., theodiscarum linguarum ac litterarum P. P. O., seminarii germanici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice* seminarii germanici *exercitationes* moderabitur die Merc. h. X; 2) *privatim Nibelungiadis exemplar Lachmannianum* interpretabitur diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparativae et philologiae teutonicae P. P. O., ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice linguam persicam* docebit dieb. Martis et Iovis h. x; 2) *privatim linguarum sanscritae, graecae, latinae, theodiscae flexuram comparatione grammatica* illustrabit quater p. hebd. h. xi; 3) *privatissime* et *gratis linguae sanscritae elementa* tradet dieb. Lunae, Mercurii, Veneris h. x.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur; 2) *privatim logicen et theoriam cognoscendi* docebit ter per hebd. h. iv.

RICARDUS GREEFF, med. et philos. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, Christi ordinis Portugalensis commendator, 1) *publice examinatorium et conversatorium de rebus geologicis et zootomicis* habendum offert semel d. Ven. h. iv; 2) *privatim zoologiam et anatomiam comparatam animalium invertebratorum* docebit quinquiens dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Vener. h. iii; 3) *privatissime exercitationes zootomicas et microscopicas* diriget dieb. Lun. Mart. Merc. Iovis h. iv.

IULIUS WELLHAUSEN, theol. et phil. Dr., philologiae semiticae P. P. O., 1) *publice elementa aethiopica* docebit bis per hebd. h. xii; 2) *privatim a) scriptores arabicos aut syriacos* interpretandos proponet ter p. hebd. h. xii, *b) de originibus Islamismi* disseret die Sat. h. xii.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et litterarum recent. P. P. O., seminarii romanico-anglici director, 1) *publice exercitationes seminarii romanico-anglici* moderabitur quater per hebd. h. xi; 2) *privatim scaenicae poesis apud Gallos historiam* tradet quater per hebd. h. x; 3) *privatissime exercitationes palaeographicas* moderabitur bis per hebd. h. x.

CONRADUS VARRENTRAPP, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, cruce ferrea decoratus, 1) *publice* proseminarii historici *exercitationes* moderabitur semel p. h. h. vi; 2) *privatim de historiae medii aevi fontibus* disseret quater h. iv.

MAXIMILIANUS BAUER, phil. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineralogici director, 1) *publice exercitationes crystallorum formis determinandis* instituet semel p. hebd.; 2) *privatim a) petrographiam* tradet per *lectiones et excursiones* quater p. hebd h. x, *b) chemiam mineralium* tradet bis p. hebd.; 3) *privatissime et gratis exercitationes mineralibus dignoscendis* habebit semel p. hebd., sed horis binis.

HENRICUS WEBER, phil. Dr., math. P. P. O., ordinis philosophorum h. t. decanus, 1) *publice exercitationes* seminarii mathematici diriget die Saturni h. vii; 2) *privatim a) arithmeticen sublimiorem* docebit quinquiens p. h. h. vii, *b) hydrodynamicen* docebit quater p. h. h. viii.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, 1) *publice repetitorium et examinatorium de chemia anorganica* et *organica* instituet semel per hebd.; 2) *privatim a) chemiae experimentalis partem primam, i. e. chemiam anorganicam* tradet sexiens p. hebd h. ix, *b) exercitationes practicas in laboratorio chemico* moderabitur quotidie ab h. viii ad h. v.

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur binis scholis p. hebd.; 2) *privatim a) aestheticen* docebit die Lunae h. vii, diebus Mercurii et Veneris h. v, *b) historiam philosophiae recentissimae* enarrabit diebus Lunae, Martis, Iovis h. v.

THEOBALDUS FISCHER, philos. Dr., geographiae P. P. O., coronae Italicae ordinis centurio, 1) *privatissime* et *gratis exercitationes geographicas* moderabitur die Mercurii h. vi—viii; 2) *privatim geographiam physicam Germaniae* tradet quinquiens per hebd. h. xii.

HERMANNUS PAASCHE, philos. Dr., scient. polit. P. P. O., 1) *publice historiam scientiae oeconomiae politicae, lectionum de politica oeconomia supplementum* tradet d. Merc. h. VIII; 2) *privatim a) oeconomiae politicae theoriam* tradet d. Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. VIII, *b) de disciplina publica capita selecta (de rebus inopum, de rerum apud operarios cautione, de publica sanitatis deque morum disciplina, similibus)* tractabit ter p. hebd.; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes de administrandis rebus publicis* habebit die Iovis h. VI—VIII.

BENEDICTUS NIESE, phil. Dr., historiae antiquae et philologiae P. P. O., 1) *publice* seminarii historici *exercitationibus* praeerit die Merc. h. VI—VIII; 2) *privatim a) res Romanas partem alteram* enarrabit quaternis p. h. scholis h. VIII, *b) historiae Graecorum a fine belli Peloponnesiaci usque ad pugnam Chaeronensem gestas* enarrabit bis per hebd. h. VIII; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes epigraphicas* instituet h. posthac definiendis.

CAROLUS EBERHARDUS GOEBEL, philos. Dr. et botanices P. P. O., horti botanici et instituti pharmacognostici director, 1) *publice demonstrationes microscopicas* moderabitur *botanicen generalem* illustrantes; 2) *privatim a) botanicen generalem (sive plantarum morphologiam, anatomiam, physiologiam)* docebit d. Lunae, Martis, Merc., Iovis, Veneris h. VII, *b) exercitationes microscopicas* moderabitur d. Martis et Veneris h. V—VII, *c) demonstrationes in praecipuis plantarum phanerogamorum familiis* instituet, *determinandorum exercitationes* adiunget, officinalium prae ceteris ratione habita; 3) *privatissime in suscipiendis inquisitionibus botanicis* moderator sodalibus praesto erit in instituto botanico, quotidie.

ERNESTUS SCHMIDT, phil. Dr., chemiae pharmac. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, 1) *publice a) rationes explorationis medicamentorum* docebit die Veneris h. IV, *b) analysin alimentorum hominis* demonstrabit h. posthac definiendis; 2) *privatim chemiae experimentalis partem primam* docebit sexiens per hebd. h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas* in laboratorio pharmaceutico-chemico moderabitur quotidie.

MAXIMILIANUS LENZ, phil. Dr., hist. P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice* seminarii historici *exercitationes* moderabitur semel p. hebd. h. VI—VIII; 2) *privatim de populorum germanicorum et romanicorum saeculi proximi vita ac moribus* disputabit quater p. hebd. h. VII matutina.

FRID. HENR. EMANUEL KAYSER, phil. Dr., geologiae P. P. O., instituti geologici et palaeontologici director, 1) *publice exercitationes palaeontologicas* diriget die Sat. h. XI—I; 2) *privatim palaeontologiam animalium invertebratorum* docebit quater p. h. h. XII; 3) *privatissime et gratis colloquium de literaturae mineralogicae et geologicae novis* moderabitur una cum Bauero prof. semel p. h.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* in seminario philologo *Senecae Apocolocyntosin* interpretandam proponet, *exercitationes* reliquas adiunget diebus Lunae et Iovis h. VII vespertina; 2) *privatim a) litterarum Romanarum historiam* tradet quater per hebd. h. IX, *b) de critica arte et interpretatione* disseret diebus Mercurii et Saturni h. IX.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice de sectionibus conicis* disseret bis p. h. hora commoda; 2) *privatim a) calculum differentialem* docebit quinis scholis h. X, *b) geometriam syntheticam* scholis trinis.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice* proseminarii mathematici sodalium *exercitationes* moderabitur d. Merc. h. VI—VIII; 2) *privatim* a) *priorem geometriae analyticae partem, praecipue sectionum conicarum theoriam* tractabit quinis scholis p. hebd. h. XI, b) *de aequationibus differentialibus integrandis* disseret ternis h. XII.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice* a) *exercitationes archaeologicas* moderabitur die Mercurii h. XII, b) *Pausaniae descriptionem Graeciae* interpretabitur d. Lunae h. XII, c) *imagines artis antiquae gypso expressas* interpretabitur d. Mercurii h. III; 2) *privatim typicen artis graecae* tradet diebus Martis, Iovis, Vener. h. XII.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice de theoria gasorum* disseret semel p. h. h. VIII; 2) *privatim physices theoreticae partem alteram* quater docebit h. IX; 3) de *exercitationibus physicis privatissime* moderandis cf. quae indixit Franciscus Melde prof.

GUILELMUS VIETOR, phil. Dr., philologiae anglicae P. P. E., seminarii romanico-anglici director, 1) *publice exercitationes* seminarii romanico-anglici moderabitur bis per hebd.; 2) *privatim* a) *historiam linguae anglicae* enarrabit ter p. hebd. h. IX, b) *Shellei carmina selecta* interpretabitur bis p. hebd h. IX.

FRIDERICUS BERNARDUS FITTICA, phil. Dr., chemiae P. P. E., 1) *publice chemiae historiae partem alteram* semel p. hebd. enarrabit: 2) *privatim chemiam toxicologicam* bis docebit.

PAULUS NATORP, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice* a) *exercitationes philosophicas ad Leibnitium spectantes* moderabitur singulis p. h. scholis, b) *de recentiorum philosophorum doctrinis ethicis* disseret semel p. h.; 2) *privatim philosophiae recentioris historiam* tradet quater p. hebd. h. XII.

MAXIMILIANUS KOCH, phil. Dr., P. P. E., 1) *privatim de Goethii vitae annis 1749—1790 eiusdemque temporis operibus* disseret ternis scholis p. hebd.; 3) *privatissime et gratis exercitationes litterarias* moderabitur scholis singulis.

GEORGIUS WISSOWA, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice* a) in proseminario philologo *Lysiae quae fertur orationem funebrem* explicandam sodalibus proponet, *exercitationes* reliquas moderabitur d. Lunae h. VI—VIII, b) *Iuvenalis satiras selectas* interpretabitur d. Mercurii h. IV; 2) *privatim litterarum graecarum historiam* enarrabit quater p. hebd. h. X.

BERNARDUS RATHKE, phil. Dr., P. P. E. Halensis, *publice de aquae et ignis usu* disseret bis p. hebd. h. V.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

BENNO KLEIN, phil. Dr., *gratis theoriam linearum curvaturae duplicis et superficierum* tradet binis scholis p. hebd.

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., *privatim* a) *fundamenta physices theoreticae* iaciet d. Martis et Iovis, b) *theoriam de sono mathematicam* tractabit d. Lunae, Mercurii, Veneris h. X.

IOANNES STOSCH, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes goticas* moderabitur semel per hebd.; 2) *privatim monumenta veteris linguae theotiscae minora* interpretabitur ter per hebd. h. VII.

FRIDERICUS GEORGIUS KOHL, phil. Dr., *privatim a) physiologiam nutritus et propagationis plantarum* tradet d. Mart. et Ven. h. IV, *b) repetitorium botanices generalis* instituet bis p. hebd. h. VIII, *c) theoriam Darwini* illustrabit semel p. hebd. h. IV.

GUILELMUS ROSER, phil. Dr., 1) *gratis chemiae organicae partem eam quam vocant Pyridinderivate* tradet semel p. hebd.; 2) *privatim a) examinatorium et repetitorium de chemia organica* offert bis p. hebd., *b) chemiae analyticae caput quod est de fluidis elasticis* explicabit semel p. hebd.

ALFREDUS FEIST, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes romanicas* moderabitur semel p. hebd.; 2) *privatim de monumentis linguae novae italicae vetustissimis* exponet bis p. hebd. h. IV.

ANT. HUGO GEORGIUS DE BELOW, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes de historia rei publicae Germanorum* moderabitur semel per hebd. d. Mercurii h. V; 2) *privatim historiam rei publicae Germanorum* enarrabit d. Mercurii h. XI, d. Saturni h. X—XII.

IULIUS LEY, phil. Dr., professor, linguae hebraicae lector, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *gratis leges metricas poesis hebraicae* tradet d. Merc. et Sat. h. XII; 2) *privatim* docebit *a) linguae hebraicae grammaticam* adiunctis *legendi* et *interpretandi exercitationibus* quaternis p. hebd. scholis h. XI, *b) carmina metrica Vet. Test. ex enchiridio suo* interpretabitur ternis scholis h. XII.

Doctrinam harmonicam OTTO FREIBERG, concentuum musicorum director, semel gratis tradet, idem instrumentorum musicorum tractandorum cantandique scholas et exercitationes offert. Delineandi et pingendi artem FR. SCHUERMANN docebit, atque doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam semel gratis tradet. Nec minus praesto sunt, qui equitandi artem et armorum tractationem doceant.